

quod confirmati prædicti, & per Nos provisum Metropolitanis suis & aliis præsentibus juramenta, & alia ad quæ de jure tenentur.

Itaque vi horum concordatorum, Capitulis Cathedralibus competit jus eligendi suos respectivè Episcopos, prout jure commune præscribitur; exceptis tamen Cathedralibus & Metropolitanis, quas apud *Sedem Apostolicam* quocumque modo vacare contigerit; nec non quæ per mortem Cardinalium aut Officialium quorumcumque dicte Sedis, quamdiu ipsa officia *actualiter* tenebunt, & etiam quorumcumque Legatorum seu collectorum, ac in terris Romanæ Ecclesiæ Rectorum & Thesaurariorum, deputatorum seu missorum vacabunt, ubicumque dictos Legatos, vel collectores seu Rectores & Thesaurarios, antequam ad Romanam curiam redierint seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis; quæ omnes Sedi Apostolicæ reservantur; uti & quorumlibet pro quibuscumque negotiis ad Romanam curiam venientium, seu etiam recedentium ab eadem, si in locis à dicta curia ultra duas dietas legales non distantibus ab hac luce transire contigerit. Constitutio Nicolai III. ad quam textus concordatorum remittit, refertur in *cap. 16 de elect. in 6.*

XI. Porro *Concordata* hæc inita & conclusa per Fredericum III. Imperatorem, nec non quosdam Principes Nationis Germanicæ ex una parte, & Legatum Apostolicum sufficienti auctoritate suffultum ab altera, & per Nicolaum V. confirmata, ultra Nationem Germanicam non extenduntur; nec alios, quam qui sub Imperio sunt, complectuntur.

XII. Cum igitur Brabantia Ducatus Imperatorem pro Superiore non cognoscat, nec sub Imperio comprehendatur, neque in Brabantia ullæ Leges Imperiales, constitutiones aut Decreta locum habeant, nec hæc quoque concordata Brabantinos concernunt, neque Beneficia in Brabantia ista unquam subiecta fuere regulis aut conditionibus in hisce concordatis præscriptis: ut late post Wamefium *Consilio Can. 255* ostendit Zypæus *Consult. 3. De Præbendis*, quamvis interim negari non possit, hæc concordata Trajecti ad Mosam & Nivelis, quantumvis Ducatus Brabantia civitatibus, notorie oblectari: nam, uti notat Zypæus loco citato, Proclive est credere Dominam Nivelensem olim fundationis Imperatoris & Principem ipsam Imperii, Imperii concordata acceptasse, & iis conformes fecisse collationes Præbendarum. Trajectum porro fuit à Philippo II. Imperatore, Henrico Duci Beneficiario jure concessum, & à Frederico II. & Henrico ejus filio confirmatum, & à Leodienibus variè controversatum, ut refert Divæus in Brabantia *lib. 1. cap. 1. & Kinschot tract. 1. cap. 2.* ut quamvis à Carolo V. demum Brabantia sit annexum, non desierunt tamen Leodienenses indivisa ibi jura possidere. Unde nec e-rectis novis Belgii Episcopatibus inde est abscissum, ut mirum non sit, si illa Ecclesia Cathedra suæ mores sit imitata, cui in spiritualibus & temporalibus non desierat subesse, adeoque concordata Germanica acceptaverit.

XIII. Ulterius quia Concordata illa inita non fuerunt per totam Nationem Germanicam, sed tantum per Imperatorem & aliquos Principes *inchoata Nationis Germanicæ*, illa nequaquam omnes omnino Imperii Principes comprehenderunt, aut obligarunt, sed eos dumtaxat, qui illa acceptanda duxerunt, quemadmodum late probat Zypæus; Multi siquidem, ait *num. 6.* per Germaniam eadem concordata non acceptarunt, ut Herbipolenses, Bambergenses, aliique, qui ampliora Privilegia, vel sibi fortè convenientiora obtulerunt.

XIV. Ad hæc notandum, quod tamen Collatores hæc Concordata acceptaverint; atque sub illis comprehendantur, si tamen Beneficia ad eorum collationem spectantia sita sint extra fines Imperii, in horum collatione concordatis locum non esse.

Unde nec litteræ Maximiliani Imperatoris scriptæ 11. Januarii 1518. ad Leodienenses, & Caroli V. ad Camera-

ceses 9. Februarii 1554. quibus sub gravissimis penis injungitur, ne quem ad Beneficium quodcumque admittant vigore litterarum Apostolicarum, nisi juxta terminos Concordatorum, concernunt Beneficia in Brabantia sita. Et quamvis tam Maximilianus, quam Carolus essent Duces Brabantia, non tamen in hac qualitate *Ducis*, sed *Imperatoris* litteras scriptas probat Zypæus; & ipse litterarum contextus ostendit.

XV. Ecclesiæ ergo Nationis Germanicæ, quæ hæc Concordata acceptarunt, etiamnum hodie, ea quæ penè solæ, jus Electionis conservarunt: quæ in sua Electione formam jure communi præscriptam servare debent, nisi ex speciali privilegio, consuetudine, aut fundatione aliquid secus obtinere probetur: cum Concordata nullum specialem Electionis ritum aut formam præscribant. Quæ verò forma in Electionibus sit servanda, infra Parte 2. dicemus.

CAPUT III.

De Regia Episcoporum Nominatione.

- 1 *Ex quo Principes fidem Catholicam susceperunt, Electioni Episcoporum intenderunt.*
- 2 *Sæculo 6. Episcopos de consensu Principis fuisse Ordinatos probatur auctoritate S. Gregorii.*
- 3 *Episcopos Nominatos fuisse a Regibus, probatur testimonio Leonis IV. & Stephani IV.*
- 4 *Reges Hispania nominasse Episcopos ostendit Concilium Toletanum XII.*
- 5 *Etiam sæculo 8. jus nominandi Episcopos habuerunt Reges Gallia.*
- 6 *Luce electio fieret à Capitulis Cathedralibus, licentia tamen eligendi petenda erat a Regibus.*
- 7 *Nullus facile eligebatur à Capitulis, nisi quem Rex electum volebat. Et ideo electionibus favebat.*
- 8 *Reservationes Romana Principibus distulerunt.*
- 9 *Pontifices maluerunt jus nominandi Regibus concedere, quam Canonicas Electiones & Confirmationes restituere.*
- 10 *Probatur ex Concordatis inter Leonem X. & Franciscum I.*
- 11 *Jus nominandi abrogatis Electionibus Regi Gallia delatum est per dicta Concordata.*
- 12 *Hæc Concordata non sine contradictione recepta fuere.*
- 13 *Excepta fuere Ecclesia, quæ specialibus Apostolicis privilegiis jus eligendi se habere poterant docere.*
- 14 *Hæc exceptio hodie locum non habet.*
- 15 *Regi Catholico indulta nominandi Episcopos à variis Pontificibus concessa fuerunt.*
- 16 *Jus illud Regibus Hispania etiam competere dicitur titulo juris patronatus.*
- 17 *In erectione novorum Episcopatum Belgii jus nominandi Principibus reservatur.*
- 18 *Idem jus passim aliis etiam Principibus Catholicis concessum.*
- 19 *Rex Catholicus non tantum indulti Apostolici, sed etiam Regalia in litteris Nominationis meminit.*

I. Bi fides Christiana primum prædicari cepit, ut occulta hæc primum fuit propter metum Principum Ethnicorum, ita inconsultis Principibus Sacerdotales Dignitates ab Episcopis assentiente Clero populoque, uti supra expositum fuit, conferebantur. Sed simul ac fidem Christianam susceperunt Principes, & Reges, continuo & ipsi ceperunt curam, & auctoritatem adhibere; non quidem ut ad se plenum jus conferendi, aut nominandi avocarent (nam illud etiam aliquot sæculis post Constantini ad fidem Christianam conversionem penès Episcopos, Clerum, populumque

lumque mansit) sed quo providerent, ut Sacerdotia ritè ac canonicè conferrentur; nec quisquam indignus, aut qui Ecclesiæ aut Republicæ Statum ac pacem turbaret intruderetur; ideoque & sine suo assensu consecrari aut confirmari Electos Episcopos ægrè sinebant.

Unde rectè notat Christianus Lupus in dissertatione *De Regia Nominatione* tomo 3. Scholiorum præfixa, *cap. 6.* Regium consensum electioni dandum, esse antiquum, & à Romana etiam Ecclesia probatum, aut certè toleratum. Etenim, pergit Lupus, Eusebianæ factionis Antiochena Synodus, dum ejusdem Civitatis Patriarcham S. Eustachium deiecit, electum à se Eusebium Cæsariensem Constantino Augusto obtulit, & petiit confirmari, factamque de illo Electionem, quod Canon Apostolicus & Nicæna Synodus veterent translationes, Princeps cassavit. Ita in hujus vita scribit ipse Eusebius, & Hermias Zozomenus. Hæc ille; qui ibidem plura refert, quibus ostenditur, jam sæculo quarto Principes Electioni Episcoporum se immiscuisse.

II. Ut ad recentiora veniamus; S. Gregorius sæculo 6. scribit Joanni primæ Justinianæ Illyrici Episcopo: „Quia suscepta Fratrum & Coepiscoporum nostrorum relatione, ad locum vos Sacerdotii totius Concilii unito consensu, & *Serenissimi Principis voluntate* declarat acceptum, gratias Omnipotentis Deo Creatori nostro magna cum exultatione retulimus. „ *Lib. 4. epist. 8.* apud Gratianum *Dist. 63. can. 9.*

III. Et apud Gratianum eadem distinctione *can. 16.* scribit Leo IV. pro Colono Reatina Ecclesiæ Electo ad Lotharium Augustum ac Ludovicum ejus filium: „ Vestram mansuetudinem deprecamur, quatenus Colono humiliter Diacono eandem Ecclesiam (scilicet *Reatinam*) ad regendum concedere dignemini, ut *Vestra licentia accepta*, ibidem eum, Deo adjuvante, consecrare valeamus Episcopum. Sin autem in prædicta Ecclesia *noherius* ut præficiatur Episcopus, Tusculanam Ecclesiam, quæ viduata existit, illi *Vestra Serenitas dignetur concedere*, ut à nostro Præsulatu consecratus, Deo Omnipotentis, Vestroque Imperio grates peragere valeat.

Similis est epistola Stephani IV. ad Guidonem Comitum quam ibidem *can. 18.* retulit Gratianus; ad quas respexisse videtur S. Ivo Carnotensis in Epistola ad Hugonem Lugdunensem Primatem, in qua scribit: „Post Canonicam Electionem Reges Apostolica auctoritate à concessione Episcopatum prohibito minime videmus. Legimus enim sanctæ recordationis summos Pontifices aliquando apud Reges pro Electis Ecclesiarum, ut eis ab *ipsis Regibus* concederentur Episcopatus ad quos Electi erant, intercessisse; aliquorum, quia *concessiones Regum* nondum consecuti fuerant, consecrationes distulisse.

IV. Etiam sæculo 7. Regum Hispaniæ consensum in Electione Episcoporum desideratum fuisse, quin nec quemquam nisi ab eo prius designatum consecrari potuisse manifestum est ex *Canone 6.* Concilii Toletani XII. qui & à Gratiano *Dist. 63. can. 25.* refertur in probationem hujus assertionis: *In Electione Episcoporum Principis desideratur assensus.*

Idem ad citatum Canonem sextum notat Garcias Loaisas, qui ibidem relatis Litteris Isidori Hispalensis, nec non Decreto Concilii Toletani XVI. concludit: „Unde constat *ad Regiam curam pertinere nominare Episcopos*: quod, ait, fiebat hoc pacto. Rex de ea re nominationem referebat ad Concilium, Concilium autem inquirebat, an nominatus dignus esset eo munere ut ad Episcopatum eveheretur, quod si inventus esset moribus & doctrina ornatus, statim à Concilio confirmabatur.

V. Nec tantum in Hispania, sed & in Gallia sub primis Regibus nominationem Episcoporum fuisse penès Reges notat Jacobus Sirmondus in præfatione de antiquo more promovendi Episcopos; quæ extat tom. 8. Conciliorum generalium editionis Labeanæ; ubi una ex eodem Sirmondo referuntur formulæ antiquæ de *Episcopatu*, qua-

rum usus fuit sub primis Regibus; sub hiscticulis: Primo: *Cleri plebisque viduata civitatis preces ad Regem pro Episcopo instituendo.* Secundo: *Præceptum Regis de Episcopatu, ad Episcopum designatum.* Tercio: *Indiculus Regis ad Metropolitanum, ut designatum Episcopum ordinet cum suis Comprovincialibus.* Quarto: *Indiculus alter ad Episcopum, pro eadem designati Episcopi ordinatione.*

Hæc formula ostendunt, plenam nominationem eo tempore penès Reges fuisse, ac personam ad Episcopatum nominatam Metropolitanò ejusque Comprovincialibus à Rege fuisse præsentatam, ut ab ipsis in Episcopum ordinaretur.

Legitur quidem sæculo nono & sequenti apud Clerum & populum Electionem fuisse; sed quali beneficio Principis aut Regis: nam ad Electionem procedere fas non erat, nisi prævia Principis licentiâ.

Extat etiamnum hodie in appendice ad tomum 8. Conciliorum Generalium epistola Hincmari Remensis Archiepiscopi ad Carolum Regem Francorum, qua petitur Clero & plebi Silvanecteni Episcopi Electionem permittat; ac Visitatorem, qui electioni præsit, designet. Et in Decreto Cleri & plebis Senonensis de electione Ansegisi, quo ab Episcopis Provincialibus electum sibi in Pastorem ordinari petunt, asserunt, elegisse se per licentiâ Episcoporum, *Domino etiam Christianissimo Carolo annuente.*

VI. Et licet sæculo 13. electiones Episcoporum ad Capitula Cathedralia fuerint devolutæ; atque inter alios S. Ludovicus Galliarum Rex in sua Sanctione Pragmatica anno 1268. decrevisset, Item Ecclesiæ Cathedrales, & alia Regni nostri liberæ electiones, & earum effectum integraliter habeant, nequaquam tamen hæc electiones sine licentiâ ac inspectione Principis peragebantur.

Nam hoc ipso anno, quo prædicta Pragmatica Sanctio edita fuit, Decanus & Capitulum Morinense ad S. Ludovicum destinatum suum Archidiaconum & Scholasticum ad petendum, inquit, nomine nostro à supereminenti & magnifica Regia Dominatione & munificentiâ *licentiâ*, eligendi, & providendi nobis, & nostræ Ecclesiæ de Pastore.

Eandem licentiâ anno sequenti ab eodem Sancto Rege postularunt Decanus & Capitulum Cenomanensis Ecclesiæ; uti patet ex supplica, quæ una cum prædicta supplica Morinensis Capituli, nec non Pragmatica Sanctione S. Ludovici extat inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ editas per Pithæum tom. 1. *cap. 15.* qui & ibidem plurimas similes supplicas, Regibus subsequenter exhibitas producit. Voluerunt ergo Reges, ut Ecclesiis Cathedralibus libera electio esset suorum Prælatorum; sed præviâ eorum licentiâ, quo inuenerunt, Capitula eam eligendi libertatem debere liberalitati Regum acceptam referre. „ Quia, ait, Christianus Lupus, Reges etiam *nominationis* sibi jus arrogabant, Canonicam electionem censuerunt esse *suam*, *singulare beneficium*: ideoque per singulares preces singulis vicibus implorandum.

VII. Sive autem electioni faciendæ consensum Principis expectare deberent Capitula; sive electionis factæ approbationem, semper tamen natum erat contingere, ut non alius eligeretur, aut admitteretur, nisi quem Princeps cupiebat.

Non mirum proinde quod Principes Capitulis sibi subiectis annuerent Canonicam electionem, quam vel ipsi pro suo arbitrio fieri permittebant, aut probabant vel improbant. Quin & facile eis erat sua auctoritate, aut precibus interpositis à Capitulis impetrare, ut illum in Episcopum eligerent, quem Principes desiderabant.

VIII. Porro cum viderent per reservationes Pontificias Prælatorum nominationes ad Curiam Romanam devolutas, non perinde amplius à sito dependere arbitrio Ecclesiarum Cathedr. provisiones, imò frequenter personas extraneas sibi haud gratas, quin & nonnunquam suspectas

ad Prælaturas suorum Regnorum nominari, omni conatu studioque illis reservationibus sese opposuerunt; atque Canonice electiones restitui voluerunt; suamque quam in iis jam pridem habuerunt, auctoritatem reduci.

IX. E contra Pontifices attendentes, quod restituti Canonice electionibus re ipsa quodammodo ad Reges & Principes devolveretur Prælatorum Nominatio; ipsi verò Pontifices in totum ab eis excluderentur; in tantum ut nec Prælatorum confirmatio, quæ de jure communi Metropolitanò competit, ad ipsos in posterum sposteret, convenientius crediderunt, à Regibus concederent privilegium seu indultum nominandi, sive præsentandi ipsi Pontifici personas ad Episcopatus promovendas; & ita Reges jus nominandi Episcopos ex privilegio aut indulto Sedis Apostolicæ habere viderentur; ac unâ Sedi Apostolicæ Episcoporum promotio & confirmatio reservaretur.

X. Ex sanè Franciscum I. Galliarum Regem non desiderasse abrogationem Canonice electionum, quæ per Sanctionem Pragmaticam erant restituta; & per famosum Concordatum inter ipsum Franciscum & Leonem X. unâ cum Sanctione Pragmatica sunt abrogata; sat innuere videtur in proemio Concordatorum. Ibidem enim exponens, qualiter sibi cura fuerit, ut Concordata ita essent confecta temperataque, ut pleraque Pragmaticæ Sanctionis firma nobis, ait, posthac rataque futura sint; ac tum pluribus articulis Pragmaticæ Sanctionis relatis, qui post Concordata salvi manserunt, ad articulum de electionibus descendens ait: „Quod verò ad electiones pertinet, minime quod optabamus obtinere potuimus.“

E contra Leo X. totus est, ut ostendat electiones esse abrogandas; asseritque, ex electionibus quæ in Ecclesiis Cathedralibus & Metropolitanis à multis in Regno Galliarum fiebant, grandia animarum pericula provenire; idque hac inter alias ratione, quod pleraque per abusum secularis potestatis fierent.

Supposuit ergo Pontifex, electiones pleraque ad arbitrium & beneplacitum Principum fieri.

XI. Itaque post multas discussiones ac deliberationes, Concordata inter Leonem X. & Franciscum I. Regem Galliarum conclusa & recepta fuere anno 1516. quorum primus articulus hic est: „Quod de cætero Cathedralibus & Metropolitanis Ecclesiis in Regno Galliarum, Delphinatu & Comitatu Diensi ac Valentiniensi nunc & pro tempore etiam per cessionem in manibus nostris (Pontificis) & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum Canonice intrantium sponte factam vacantibus, illarum Capitula & Canonici ad electionem seu postulationem, inibi futuri Prælati procedere non possint: sed illarum occurrente hujusmodi vacatione, Rex Franciæ pro tempore existens, unum gravem Magistrum seu Licentiatum in Theologia, aut in utroque seu altero Jurium Doctorem aut Licentiatum in Universitate famosa & cum rigore examinis & in vigesimo septimo suæ ætatis anno ad minus constitutum, & aliis idoneum infra sex menses à die vacationis Ecclesiarum earumdem computandos, nobis & Successoribus nostris Romanis Pontificibus seu Sedi prædictæ nominare, & de persona per Regem hujusmodi nominata per nos & Successores nostros, seu Sedem prædictam provideri debeat: & si contingeret præfatum Regem personam tantum non qualificatam ad dictas Ecclesias sic vacantes nominare, per nos & Successores seu Sedem hujusmodi de persona sic nominata eisdem Ecclesiis minime provideri debeat,“ &c.

XII. Hæc Concordata tandem post multas tam ex parte Curie Regiæ, quam Prælatorum atque Universitatis Parisiensis oppositiones, auctoritate Regia publicata & executioni mandata fuere; atque hodie in vim illorum Rex ad Episcopatus & Archiepiscopatus nominat.

XIII. Declarat tamen Pontifex, se non intendere per præmissa in aliquo præjudicare Capitulis Ecclesiarum Privilegia à Sede Apostolica proprium eligendi Prælatum ob-

tinentibus, quominus ad electionem liberè procedere possint, juxta formam in eorum privilegiis contentam: „Et si in eorum privilegiis forma aliqua expressa non fuerit, tum formam Concilii generalis, Capituli QUIA PROP- TER tantum servare teneantur: dummodo de privilegiis sibi concessis hujusmodi, per litteras Apostolicas, seu alias authenticas scripturas docuerint, omni alia specie probationis eis in hoc adempta.“

XIV. Verum, primùm ipse Leo X. ac deinde Clemens VII. per speciale indultum concesserunt ipsi Francisco I. suspensionem privilegiorum, si quæ Sedes Apostolica quibuldam Ecclesiis annuisset; permittentes interim Regi nominationem ad Prælaturas. Simile indultum Pius IV. postmodum Carolo IX. dedisse legitur; ac interea injungebatur omnibus Capitulis, ut si quæ prætenderent hujusmodi privilegia à Sede Apostolica accepisse, eorum litteras Cancellario Regio examinandas traderent. Post hæc Reges Galliarum manserunt in possessione nominandi ad omnes sui Regni Ecclesias Cathedralis; vel quod privilegia in forma authentica non fuerint producta, vel quod longa possessio jus illud formaverit & firmaverit; ut observat Pinforius in Historia de Indultis; qui & ibidem refert plura indulta Regibus Galliarum à variis Pontificibus concessa, quibus jus nominandi extenditur ad Provincias & Ecclesias Concordato non comprehensas.

XV. Regi Catholico similia quoque Indulta nominandi ad Cathedralis Ecclesias concessa testantur unanimiter rerum Hispanicarum Scriptores; atque hodie Præsentatio sive Nominatio fit à Rege teste Garcia De benef. part. 5. cap. 1. numer. 217. „cujus juris præsentandi, ait, & patronatus præcipuum fundamentum est privilegium Apostolicum, quod habent Reges Hispaniæ.“ Deinde ex Mariana in historia Hispanica lib. 24. cap. 16. refert, quod, cum fuisset de hoc controversia, Sixtus IV. concessit perpetuò Regibus Castellæ, quod in Episcopatus, bus eligerentur per eos nominati & petiti. „Quin & teste Mariana lib. 25. cap. 5. uti ibidem etiam retulit Garcia: „Papa Adrianus VI. concessit Carolo Imperatori Regi Hispanicarum & ejus Successoribus jus præsentandi Episcopos Hispaniæ, qui ante providebantur ad supplicationem Regum.“

XVI. De hoc jure Regum Hispaniæ latius tractat Covarruvias ad Cap. Possessor part. 2. §. 10. numer. 5. ibique observat, quod non tantum ex privilegio, sed vi juris patronatus competat Regibus Catholicis jus præsentandi in Ecclesiis Cathedralibus, cum eas exercent, construxerint, & amplis patrimoniis dotaverint.

Uno verbo, uti rectè monet Covarruvias, „absque ulla controversia Hispanicarum Reges jus, & quasi possessionem habent ab eo tempore, cujus initium memoriam hominum excedit, eligendi & nominandi eos, qui à Romanis Pontificibus sunt præficiendi, ita quidem, ut nisi à Rege nominatus nemo possit his dignitatibus insigniri.“

XVII. Et in Bulla erectionis novorum Episcopatum Belgii, Paulus IV. Philippo Regi ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis (scilicet ejus partis inferioris Germaniæ quæ Philippo Regi Catholico hæreditario jure subjecta erat) in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano Pontifici pro tempore existenti personas idoneas ad dictas Ecclesias, quotiescumque illas vacare contingeret, per eundem Pontificem in Archiepiscopos & Episcopos ad Nominacionem hujusmodi Ordinandos, in perpetuum reservavit.

Pari jure omnes penè Principes & Reges Catholicos suarum respectivè Ditionum Episcopos nominare asserit Marthæ tractatu de jurisdictione part. 2. cap. 4. & laudis Michaël Roussel in historia Pontificiæ jurisdictionis lib. 2. cap. 7.

Porro „Principes nostri (uti post Boëtium Eponem ad-

„adverit Zypæus in Jure novo tit. de electione nu. 3.) cum ad Episcopatum aliquem nominant, præsentant, se id facere vigore Regaliæ Indultis Apostolicis, seu quovis alio jure sibi competente. Pontifex verò in litteris confirmationis, providet nominato in vim Indultis Apostolicis, ommissa Regaliæ mentione, utpote quasi rejectæ, si non agnitæ.“

CAPUT IV.

Quæ conditiones in Nominacione Regia sunt servandæ.

- 1 Nominandus secundum Concordata Gallia debet esse graduatus in jure vel in Theologia.
- 2 An magis expectat, ut sit graduatus in Theologia, quam in jure?
- 3 Exceptio à dicta Regula Concordatis.
- 4 Rex Catholicus aliique Principes ex præcepto Concilii Tridentini qualem nominare debeant?
- 5 Decretum Tridentini ostendit, non exigam curam adhibendam in concedendis gradibus Academicis.
- 6 Vi Concordatorum Gallia nominatio fieri debet intra sex menses à die vacationis.
- 7 Si Rex personam non qualificatam nominaverit, tenetur intra tres menses à die recusationis aliam nominare.
- 8 Quomodo recusatio intimanda, & cur?
- 9 Prædicta limitationi temporis non astringitur Rex Catholicus nec alii Principes.
- 10 Pontifex vigore prædictorum Concordatorum liberè providere potest de Ecclesiis apud Sedem Apostolicam vacantibus: & quid sit ibidem vacare?
- 11 Interdum Rex Gallia provisioni Pontificis se opponere potest.
- 12 Regia Nominatio Pontifici præsentanda.
- 13 Speciales conditiones in Concordatis seu Indultis in nominatione Regia sunt servandæ.

I. **L**ites conditiones in Concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. in Nominacione Regia servandæ præscribuntur. Et quidem quod personam à Rege nominandam attinet, decernitur, Nominandum à Rege esse debere „Virum gravem Magistrum seu Licentiatum in Theologia, aut in utroque Jure seu in altero Jurium Doctorem aut Licentiatum in Universitate famosa, & cum rigore examinis, & in 27. suæ ætatis anno ad minus constitutum.“

II. Notatur etiam Michaël Roussel in historia jurisdictionis Pontificiæ lib. 2. cap. 6. n. 19. quod Henricus II. statuerit in Comitibus Blefensibus, neminem se nominaturum, nisi qualitates haberet, ac insuper voluerit ut nominatus examinaretur ab Episcopo vel Archiepiscopo & duobus Theologis: „Sed tutius esset, ait Roussellius, neminem nominari, nec nominatum admitti, nisi qui Theologia Doctoratum optinere, mox meruisset: sic enim dignitas Ecclesiæ, quæ maxime viget in doctis & bene moratis Præsulibus, (à doctrina autem præclari mores plerumque nascuntur, ut ab ignorantia prævi) facile restitueretur: idque absolute addi Concordato debuerat, si quidem nemo nescit, quam facile gradus Jurium obtineantur, ut ex illis doctus & capax præsumi non debeat.“

Videant qui hodie annuendis Gradibus Academicis præsentant, an hoc Roussellii dictum hodie non verificetur.

III. Porro conditioni de Gradu Academico in nominando requiringdo hæc moderatio, subjicitur; „Exceptis consanguineis Regis, ac personis sublimibus ex causa rationabili, & legitima in Nominacione, & Apostolicis litteris exprimentis, nec non Religiosis Mendicantibus Reformationis, eminentis scientiæ, & excellentis doctrinæ, qui

„juxta Ordinis Regularia instituta ad Gradus hujusmodi assumi non possunt.“

IV. Rex Catholicus aliique Principes, licet legibus horum Concordatorum non adstricti, nihilominus eadem penè circa Nominandas personas quoad hunc articulum leges servare tenentur vi Concilii Tridentini, quod sess. 22. cap. 2. De Reform. præscribit, „Ut quicumque posthac ad Ecclesias Cathedralis erit assumendus præter ceteras qualitates, scientiæ ejusmodi polleat, ut muneri sibi injungendi necessitati possit satisfacere. Ideoque antea in Universitate studiorum Magister sive Doctor in S. Theologia vel Jure Canonico merito sit promotus, aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur.“

V. Hic notandum, Syntodum Tridentinam in defectum Gradus Academici requirere, ut Nominandus sive Promovendus publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur; adque non obscure intimare & supponere, Gradus Academicos esse publica eruditionis ac scientiæ testimonia; ut consequenter, qui his muniti fuerint, alio publico Academiæ testimonio non indigeant.

Hinc patet, quam solliciti esse debeant Doctores, quibus admisso ad hujusmodi Gradus incumbit, ne publica illa eruditionis ac capacitatis testimonia annuantur iis, qui scientiæ atque capacitate, quam Gradus præfert, debite non sunt instructi; ne aliàs levius illa concedentes, Ecclesiæ ac Fundatoribus, qui Gradus illos tamquam eruditionis testimonia requisierunt, in re summi momenti imponatur.

Unde inter rationes, quibus pius ille Parisiensis Cancellarius Joannes Gesonius ad renuntiandum officio Cancellarii movebatur, hæc una erat: „Cogor ad deliberationem aliorum, vel pro consuetudine temporis, ignarus scientiæ & perniciosi moribus promovere.“ Ad quæ reflectens Joannes Sennichius ait: „Consuit nimirum, indignorum ad Gradus Academicos promotionem, gravem esse iniquitatem; ideo utique, quia immanem Republicæ tam Ecclesiasticæ quam Politicæ infert perniciem.“ Saul Exræ lib. 1. cap. 12. §. 465.

VI. Aliæ sunt conditiones in præfatis Concordatis, quæ respiciunt tempus, intra quod Nominatio à Rege fieri debet; nimirum intra sex menses à die vacationis Ecclesiarum computandos.

VII. Deinde additur: „Et si contingerit, Regem personam taliter non qualificatam ad dictas Ecclesias sic vacantes nominare, nos (Leo X.) & Successor seu Successores hujusmodi de persona sic Nominata isdem Ecclesiis, siis minime providere debeat. Sed teneatur idem infra tres menses à die recusationis personæ nominatæ non qualificatæ, sollicitatori Nominacionem non qualificatam prosequenti, consistorialiter factæ intimandæ computandos, aliam supra dicto modo nominare.“

Prima ergo nominatio per Regem fieri debet infra sex menses à die vacationis; si autem nominata sit persona, non qualificata juxta præscripta in Concordato, eamque Pontifex confirmare recusaverit, alium nominare Rex poterit, sed intra tres menses; si verò prima Nominatio Regia non fuerit plenè sortita effectum, utpote quia nominatus consentire recusavit, vel post consensum juri suo renuntiavit, atque forte diem clausit extremum, seu propter occultum ejus vitium nominatio irritatur, tunc, inquit Rebuffus, Rex habebit alios sex menses, ac si vacatio nova esset.

VIII. Prædicti verò tres menses computandi sunt à die recusationis intimatæ prosequenti Nominacionem.

Hinc infert Rebuffus in Commentatio ad Concordata titulo de Regia nominatione, verbo prosequenti, quod sollicitator Regis debeat prosequi Nominacionem factam per Regem; „Atque per hoc infertur, ait Rebuffus, quod Rex tenetur habere Romæ sollicitatorem, qui nominationem hanc prosequatur. Quod si sollicitator mor-